

,Sicine me patriis avectam, perfide, ab aris

perfide, deserto liquisti in litore, Theseu?

Sicine discedens neglecto numine divum,

immemor a! devota domum periuria portas?

Nullane res potuit crudelis flectere mentis

consilium? Tibi nulla fuit clementia praesto,

immite ut nostri vellet miserescere pectus?

At non haec quondam blanda promissa dedisti

voce mihi, non haec miserae sperare iubebas,

sed conubia laeta, sed optatos hymenaeos,

quae cuncta aereii discerpunt irrita venti.

Nunc iam nulla viro iuranti femina credat,

nulla viri speret sermones esse fideles.

Quis dum aliquid cupiens animus praegestit apisci,

nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt,

sed simul ac cupidae mentis satiata libido est,

dicta nihil metuere, nihil periuria curant.”